

cit. 4. phys. theol. art. 3. n. 364.), quispiam complures ad dignitates, ac publica munia gerenda adhibeat, singulosque ex meritis praemio, poenave officiat, certo nemo sanus eum regem reprehenderit; an vero Deo praescientia illa de plurimis interitu fraudi erit? an minus censebitur bonus, minus beneficis, quia simul, quod facturum erat, praevidit, quam rex, qui id ignoravit? Porro, qui circa meritum proprium sese felices esse optant, inquit sunt in Deum, qui in condendo universo actuum moralium praestantiam, liberumque arbitrium habuit potiora. Demum dignum Deo erat, non modo beneficentiae, sed etiam iustitiae ejus aeterna praestare monumenta, non quod fecerit quempiam, ut puniat, sed ut iustitiam vel iniustus commendet, qui bonitate uti noluit.

Ad extremum juvit advertere, duos potissimum gravissimos errores a Baylio, aliliquee bonitatis hostibus in hoc argumento committit. 1.) Ex sola bonitatis ab aliis Dei perfectionibus abstracta idea ratione invenitur, et quodcumq[ue] ex hac immediate non fluit, eidem opponi contendunt. At enim bonitas haec consociata revera est cum infinitis aliis perfectionibus, quae non quidem inter se pugnant, diversos tamen effectus postulant: unde permitti, aut etiam effici multa a Deo possunt, quae, et si a bonitate abstracte considerata non profiscantur, illi tamen minime opponuntur, vel idcirco, quod ex idea alterius eiusdem perfectionis similiter separata accepta promanant. Quod si autem perfectiones divinae, ut insunt, concrete sumuntur, quivis effectus ab omnibus simul provenit. 2.) Bonitatem Dei ex singulorum hominum appetitionibus, aut indigentias metuntur, cum tamen Deus totius universi bonum primi loco proceret, singulis vero seorsum tantum beneficiis exhibeat, quantum illius perfectio admittit: quemadmodum princeps humanus, tametsi optimus, non magis amat singulos, quam quantum ad communem tolius reipublicae bonum conductit.

QUID JUSTITIA?

LXVIII. *Justitia* est bonitas sapienter administrata: summa itaque justitia est summa bonitas sapientissime administrata.

Schol. Definitio istae ex Bohemio sic declaratur (*Theolog. nat. s. 1. c. 4. §. 517. not.*) *Summus in civitate imperans delinquentes nec nimia severitate, nec lenitate puniens justus eatus dicitur.* Bonitas vero ipsius facit, ut 1.) singulis adeoque etiam delinquenti non male, sed bene velit, ideoque mallet beneficere, quam punire. 2.) Ut totum reipublicae systema, securum, et tranquillum, non a male feriatis turbandum velit. 3.) Sapientia ipsi ostendit non punitionem malefici omni nequitatis subditorum forces pandere, vel salutem omnium evertere. 4.) Sapienter igitur administratur bonitatem punit non nimis leniter ob bonitatem erga totam rem publicam, nec nimis severe ob bonitatem erga singulos, atque ita juste punit. Constitu-

tuto porro hoc iustitiae divinae concepti, plurimum illustrantur quae ante diximus: clare enim intelligitur constitutionem poena- rum etiam aeternarum minime cum Dei bonitate pugnare.

DEUS EST JUSTISSIMUS.

LIX. *Deus est justissimus.* Deus et optimus (§. 46.), et sapientissimus est (§. 38.); igitur cum summam bonitatem exercet, sapientissime id praestat, seu quod idem est, bonitatem suam sapientissime administrat; sed id est esse justissimum (§. praeac.): ergo Deus justissimus est.

QUID VERACITAS?

LX. *Veracitas* est constans voluntas numquam falsum dicendi.

DEUS EST VERACISSIMUS, ET FIDELISSIMUS.

LXI. *Deus est veracissimus.* Cum Deus sit ens absolute perfectissimum (§. 25. cor. 1.), omnis possibilis realitas sine limite eidem tribuenda est (ont. §. 93 sch. n. 3.); sed veracitas est certe possibilis quadam realitas: igitur veracissime limite Deo tribuenda est; ac proinde veracissimus sit, oportet.

Coroll. Cum ad veracitatem fidei in servandis promissis pertinet, ut per se notum est: Deus quoque fidelissimus est.

Schol. Attributis adhuc resistentis alia praeterea, ac praecipue summa beatitudinem, et perfectissimam felicitatem adnumerandam esse nemo ignorat; sed notiora haec sunt, quam ut fusori oratione egant.

SECTIO III.

DE OPERATIONIBUS DEI.

QUOD SECTIONIS ARGUMENTUM?

LXXII. Per operationes Dei, de quibus hoc loco agendum est (§. 2.), eas intelligo, que Deo ut supremo mundi auctori convenient, quaeque generatim ad creationem, conservationem, concursum, gubernationem, et providentiam reducuntur. Itud itaque sectionis argumentum est.

CAPUT I.

De Creatione, Conservatione, et Concursu.

POTENTIA GRANDE EST INFINITA.

LXXIII. *Potentia aliquid creandi est potentia infinita.* Nullum possibile aut aliiquid conducere, aut repugnare sui effectiōnē potest; sed omnia et passive, et aequaliter indifferentia sunt, ut producantur, vel non producantur: igitur potentia aliquid creandi omnibus possibilibus procreandis sufficit; atque potentia, quae omnibus pos-

Storchenau Metaph. Lib. IV.

sibilibus procreandis sufficit, certo infinita est: ergo potentia aliquid creandi est potentia infinita.

Coroll. Potentia itaque aliquid creandi nulli enti finito illa ratione competere potest (ontol. §. 224, cor. 1.).

DEUS MUNDUM CREATIVIT.

LXIV. Deus mundum creavit. Mundus creatus est (cosm. §. 24.); sed non ab ente finito (§. praece. coroll.): igitur ab infinito, quod Deus est.

AG IDEO OMNIPOTENS EST.

LXV. Deus est omnipotens. Deus procreavit hunc mundum (§. praece.): igitur potentia aliquid procreandi pollet; sed potentia aliquid procreandi est infinita (§. 63.); id est, omnipotencia: ergo Deus pollet omnipotencia, sive est omnipotens.

QUID CREATIO?

LXVI. Creatio ex parte Dei spectata est actio, quae efficit, ut ens existentiam, quam nondum habuit, obtineat. Per creationem Deus efficit, ut ens ex nihilo oritur (ont. §. 18a.): igitur creatio ex parte Dei spectata recte dicitur actio efficiens, ut ens existentiam, quam nondum habuit, obtineat.

**CONTINUATIO EXISTENTIAE ENTI CREATO VI ESSENTIAE NON COMPETIT —
ICITUR RATIONE SUFFICIENTE EGIT.**

**LXVII. Si ens creatum existentiam continuat, haec continua-
tio eidem vi essentiae non competit.** Quodvis ens creatum est vi
essentiae indifferens ad obtinendam, sive ad habendum primo mo-
mento existentiam; ergo etiam quodvis ens creatum vi essentiae in
differens est ad existentiam 2.º, 3.º, 4.º, etc. momenta haben-
dam, id est, ad continuandam existentiam; nam ut in primo, ita omni-
bus reliquo momentis contingenter existit; sed illud, ad quod haben-
dum vi essentiae indifferens est, eidem vi essentiae non competit;
igitur si ens creatum existentiam continuat, haec existentiae continua-
tio eidem vi essentiae non competit.

Coroll. Continuatio itaque existentiae eni causa praeter essentiam
tribuitur, ac proinde ejusdem ratio sufficiens extet, necesse est
(ont. §. 21.).

QUAE NON EST IN ILLO ENTE — NEQUE IN ALIO CREATO, SED IN DEO.

**LXVIII. Ratio sufficiens, quae efficit, ut ens creatum existen-
tiam continuat, non inest in illo ente.** Insit enimvero haec ratio
sufficiens in ipso ente, erit ea vel in essentialibus, vel in attributis,
vel in modis; praeterea enim nihil est in ente (ont. §. 56. coroll. 1.);
at non est in essentialibus, secus enim continuatio existentiae eni
creato vi essentiae competetur, quod pugnat cum §. praece.: non in
attributis; nam cum attributa in ipsa essentia rationem sufficientem
habeant (ont. §. 56.), rursus idem absurdum sequeretur. Sit igitur in
modis; quaero an in modis analogicis, an in modis propriis? non pri-
mum; nam modi analogici solum ad liberas actiones pertinent, nemo

autem dixerit a liberantis determinatione pendere, ut existentiam continuet, vel non; et quid de entibus materialibus dicerebimus? si au-
tem secundum; tunc, quia omnis modus proprius in ente extreme rationem sufficientem habet (ontol. §. 36.), etiam ratio sufficiens con-
tinuitate existente reapse in ente distincto continetur; ergo ratio sufficiens, quae efficit, ut ens creatum existentiam continuet, non inest in illo ipso ente.

Coroll. Ratio itaque sufficiens, quae efficit, ut ens creatum existentiam continuet, continetur in ente alio distincto; et quoniam etiam hic progressus, in infinitum regnatur, id solo Deo.

QUID CONSERVATIO?

**LXIX. Conservatio est actio, quae efficit, ut ens creatum existen-
tiam continuet.**

Coroll. Conservatio itaque est vera ratio sufficiens continuatae ex-
istentiae.

EST CONTINUATA CREATIO.

LXX. Conservatio est continuata creatio. Cum actio, quae effi-
cit, ut ens existentiam primo obtineat, continuatur, necesse est, ut
ens quoque creatum existentiam acceptam continuet; sed illa actio
est creatio (§. 66.); igitur cum creatio continuatur, ens quodque crea-
tum existentiam continuat; id est: creatio continuata efficit, ut ens
creatum existentiam continuat; ergo actio, quae efficit, ut ens crea-
tum existentiam continuat, est continuata creatio.

DISS. ENTIA CREATA CONSERVAT.

LXXI. Deus quodvis ens creatum singulis momentis conservat.
Deo ratio sufficiens inest, quae efficit, ut quodvis ens creatum quovis
dato momento existentiam continuet (§. 68. cor.): igitur Deus quovis
momento efficit, ut ens creatum existentiam continuet; atque istud
est conservare (§. 69.): ergo Deus quodvis ens creatum singulis mo-
mentis conservat.

DEFECTUS NON CONSERVANTUR.

Schol. 1. Realitates entium creatorum limitatae sunt: inest proinde
in quovis ente creato aliquid reale, et aliquis realitatis defectus,
qui limitem constituit (ont. §. 40.). Jam porro defectum existere
aliud non est, quam realitatem non existere; ad hoc vero, ut reali-
tas non existat, positiva Dei actione opus non est; Deus quippe
per statu actionem existentiam largitur, non vero non existentiam:
defectus itaque, limitationes, negationes, privationes, quae in en-
tibus creatis comprehenduntur, a Deo nec creature, nec conservan-
tur. Scilicet verissimum est, quod ait Boehmius (*Theolog. nat. s. 2. c. i. §. 229. not.*): *Omnium realitatum, quae non pertinent
ad ipsum Deum status naturalis, ut sic loquar, est non esse.*
*Ut igitur non sint, non opus est aliqua Dei actione, sed ut sint,
et perdurent.* Quemadmodum ut nihil habeas in mortuorum,
aut ut nulla accedant ad ea, quae forte habes, non opus est tua
cura, et parsimonia; sed ut aliquid in eo sit, et maneat.

OCCURRENTIUS DUBIO.

Schol. 2. Sed dubitant nonnulli, utrum per ens creatum, quod perpetua conservatione egeat, satis commendetur supremi opificis sapientia, ac potentia, nec enim, ajunt, artefactum humanum ab artefacto suo in ea penderet, ut perseveret; igitur id multo minus de Dei operibus opinandum. At vero discriminis ratio in eo sita est: ut artefactum quodpiam in suo esse artificioso perseveret, nihil aliud requiriatur, quam ut ne modificatio materiae aliquoquin existentias ab artefacto, vel alia causa naturali inducta, immutetur; quem in finem ipse Deus naturae auctor satis efficaces causas in natura constituit, ut inertiam, cohaesione, vim certa distantiarum lego agentem, quae eam mutationem tam diu impeditum, donec vis fortior ab externo principio supervenientia: quare similia artefacta ultiore artificio sua cura non agent. Ab opposito ut ens creatum existentiam acceptam continuet, necesse est, ut ex te hujus continuationis ratio sufficiens, quae neque in illo, neque in ullo alio ente creato, sed in solo Deo contineri potest; eadem minime debet, quae ens ex nihil eductis, singulis quoque momentis efficeret debet, ne in nihil abeat.

ABSENTE CONSERVATIONE EXISTENTIA ENTIS GESSAT.

LXXII. *Hoc ipso solum, quod conservatio absit, ens creatum non amplius existentiam continuat.* Hoc ipso solum, quod ratio sufficiens tollitur, tollitur quoque rationatum (ont. §. 12.); sed conservatio est ratio sufficiens, cur ens creatum existentiam continuat (§. 69. cor.): igitur hoc ipso solum, quod conservatio absit, ens creatum existentiam amplius non continuat.

Coroll. Ens itaque, quamprimum Deus conservare cessat, illlico in nihilum abit, seu nihilom est: quare annihilationis non est actus positivus, sed mera actus negativi omisso.

Schol. Errant igitur gravissime, qui cum Genueensi docent, non sufficere ad ens annihilationem, ut Deus illud non amplius existere velit, sed necessarium praeterita esse in Deo positum nolitionis actum. Certe si haec sententia obtineat, consequens esset, ut entia creata absque omni positiva Dei voluntate existere possint, quo supremum Dei in res omnes dominum manifeste tollitur. Perspexit istud acute Cartesius ita ratiocinatus (Epist. 2. ep. 16. n. 7.): *Nec dubium est, si Deus cessaret a suo concurso (conservacione), quin statim omnia in nihilum sint abitura, quia antequam creata essent, et ipsis concursum suum praeberet, nihil erant.* Nec per hoc, quod substantia dicatur per se existere, excluditur concursus divinus, quo indiget ad substantendum; sed tantummodo significamus illam esse talen tem, ut absque omni alia creata esse possit, quod de modis rerum dico non potest. *Nec Deus ostenderet potentiam suam esse immensam, si restales efficeret, ut postea sine ipso esse posset, sed contra illam in hoc testaretur finitam esse, quod res semel creatae*

De Creatione, Conservatione, et Concurso. 515

non amplius ab eo penderent. Nec recido in foream a me puratam, cum dico fieri non posse, ut Deus quidquam gliter destruat, quamcessando a suo concurso, quia aliquoquin per positivam actionem veniret ad non ens. *Magna enim differentia est inter ea, quae fiunt per positivam Dei actionem, quae omnia non possunt non esse valde bona, et ea, quae ob cessationem positivae actionis eveniunt, ut omnia mala, et peccata, et destructione aliquibus entis, si unquam aliquid existens destruantur.*

DEUS VIM ENTUM CONSERVAT.

LXXXIII. *Deus conservando entium creatorum existentiam, vim quoque eorum singulis momentis conservat.* Deus conservando entium creatorum existentiam simul omnes realitates, quae ipsis ut existentibus vi essentiae competit, conservat, ut in aperto est; sed vis entibus creatis, ut existentibus vi essentiae competit (ont. §. 176.): ergo Deus conservando entium creatorum existentiam, vim quoque eorum singulis momentis conservat.

Coroll. Vis igitur agendi entium creatorum eo quoque momento, quo agit, a Deo conservatur, seu quod idem est, entia creata in eo statu, quem agendo obtinent, a Deo conservantur.

DEUS AGENDO RATIONEM ACTIONES ENTUM CONTINET.

LXXXIV. *Deus agendo rationem aliquam continet, cur entia creata agant, quidquid agunt.* Deus agendo conservat vim entium creatorum eo quoque momento, quo agit (§. praecc. cor.); sed vis continet rationem sufficientem, cur actio ad existentiam perveniat (ont. §. 131.): igitur Deus agendo aliquam rationem rationis, cur entia creata agant, quidquid agunt, continet; sed qui agendo aliquam rationem rationis, cur entia creata agant, quidquid agunt, continet, etiam agendo rationem continet, cur entia creata agant, quidquid agunt: ergo Deus agendo rationem aliquam continet, cur entia creata agant quidquid agunt.

QUID CONCURSUS?

LXXV. *Concurrere ad actionem alterius dicitur ens, quod agendo aliquam rationem continet, cur alter agat.*

Schol. Ita ex usu loquendi ad actionem alterius concurrerit, qui eidem motiva, consilia, subsidia, aut materiam, circa quam actio, versatur, subministrat.

DEUS AD OMNES ACTIONES CONCURRET.

LXXVI. *Deus ad omnes actiones entium creatorum concurrerit.* Qui agendo rationem continet, cur alter agat, ad illius actionem concurrerit (§. praecc.); sed Deus agendo rationem aliquam continet, cur entia creata agant, quidquid agunt (§. 74.): ergo Deus ad omnes actiones entium creatorum concurrerit.

QUOTPLEX CONCURSUS?

LXXVII. *Concursus divinus est immediatus, si Deus non minus ad existentiam effectus, quam ad existentiam causas concurrit, mes-*

datus, cum Deus eatenus solum ad effectus existentiam concurrit, quatenus causa existentiam, agendique vim contulit, cetera illi resiliens. Item concursus dicitur generalis, et physicus, qui ad omnes omnium caussarum creaturarum actiones porrigitur: specialis, et moralis, qui ad quasdam solum quorundam entium creatorum actiones pertinet.

CONCURSUS DEI EST GENERALIS, ET IMMEDIATUS,

LXXVIII. Concursus, quem Deus ad omnes actiones entium creatorum praestat (§. 76.), est generalis et immediatus. Primum patet, quoniam hic concursus ad omnes actiones pertinet. Alterum sic conficio: concursus ille in eo consistit, quod Deus singulis momentis conservet vim, etiam cum agit, adeoque causam ipsam in eo statu, quem agendo obtinet (§§. 76. 74. 73. cor.); igitur causa creata sic prorsus a Deo in agendo, sicut in existendo pendet, sicut nimur quovis momento per conservationem accipit existentiam, ita quovis momento per eamdem conservationem accipit eum statum, quem agendo obtinet; atque si ita, tunc Deus conservando caussam in statu agendi non minus ad existentiam effectus, quam ad existentiam caussae concurrit, qui concursus immediatus est (§. praece.); ergo concursus, quem Deus ad omnes actiones entium creatorum praestat (§. 76.), et generalis, et immediatus est.

Schol. Non satis digne de divinis perfectionibus sentiunt, qui cum Durando de S. Portiano, Aurelio, Ludovico Perierio de Dole, Nicolo Taurello, et Berniero concursu Dei duxerat medium iudicium defendunt; nam stante hac hypothesi caussae creatae in agendo a Deo non pendet, quod cum summo illius in omnia entia creatae dominio pertinet. Certe summum Dei dominium postulat, ut quodvis ens creatum quoad totum sui constitutionem singulis momentis perfectissime ab eis perdeat; pone jam caussas creatas in agendo a Deo non pendere, non pendebunt certe quoad totum sui constitutionem; nam cum ens agit, alium statum obtinet. Quamquam fortasse hi verbis magis, quam re dissensisse videari possit; nam, ut recte Leibnitius (*Essai de Théod.* p. 1. §. 27.) animadvertisit, vix fieri potest, ut quis conservationem caussae in vero sensu admittat, simul tamen concursum immediatum inficiatur: haec quippe conservatio necessario determinatam quampiam, et ut ajunt, individualiter relationem ad caussam, quae conservatur, dicit, quare relatione diversa est, cum causa agit, et cum non agit. Atque hanc relationem diversitatem aut sustulisse, aut ad eam non satis attendisse doctores illi videntur.

CONCURSUS AD ACTIONES BONAS SPECIALIS EST.

LXXIX. Ad actiones hominum moraliter bonas Deus concursus specialis, et moralis concurrit. Actiones moraliter bona illae sunt, quarum exercitatio a legi morali per rationem omnibus promulgata imperatur; ad has autem actiones Deus concurrit constitudo legem, suadendo,hortando, proponendo praemia, et poenas;

aliaque adjumenta subministrando: atque id genus concursus specialis, ac moralis est (§. 77.); igitur ad actiones hominum moraliter bonas Deus concursus specialis, et moralis concurrit.

DILUVIUM OBJECTA.

Schol. Duo potissimum objici solent. 1.) Ajunt; perfectior est machina, quae circa directionem, et assistentiam artificis motus suos continuat, ut patet in horologio; igitur etiam perfectior erit causa creata, quae in actionibus suis immediato Dei concursu non egat; quod si ita, parum divini artificis sapientia, et potentia per hanc similitudinem commendabatur.

Responsio in promptu est: machina, quae sine artificis directione motus suos perficeret nequit, imperita constructa est; caret enim perfectio; cuius recipienda ipsa per essentiam capax est, quam artificis secundum artis suae praecepta eidem conferre et poterat, et debebat. At ut res creatae, ad agendum divino concursu non egant, ipsarum essentiae limitatae non admittunt; limitatio quippe haec efficit, ut ipsae non minus in agendo, quam in existendo a Deo pendeant. Neque inde potentiae, aut sapientiae divinae quidquam detrahitur; non enim ad ipsas pertinet scire, aut efficere posse pugnaria. Quid quod id ipsum supremum Dei in res creatas dominium postula? certe si caussae creatae ad agendum immediato Dei concursu non egarent, possent illae etiam Deo non volentes actiones perficere, quod quam absconit sit, nemo non videt.

2.) Concursus immediatus ad omnes actiones pugnare cum infinita Dei sanctitate contendunt; putant enim inde consequens esse, ut Deus fati actor peccati, quemadmodum illi ut auctori actiones hominum bona tribuntur.

Consecutio haec a vero abhorret; nam etsi Deus generaliter, et physice concurrit ad actum, qui malus est, ne eum impossibilem reddat, ac sic libertatem hominis tollat; non tamen concurrit electio, ac ex determinatione propria, sed potius ex determinatione caussae liberae; non enim actum malum vult, aut intendit, sed quantum salva hominis libertate potest comminatione poenarum, ac praemitorum promissione eum impeditur nititur. Quare cum illi solum actum qua malus tribui possit, qui eum ut talem voluntate efficaciter eligit, omnis culpa in homine residet, ut ait Plato (*Dæleg.* l. 10.). Contrarium obtinet in actibus bonis, quorum auctor Deus est, non ideo solum, quod physicus, sed quod moraliter ad eosdem concurrit. Concurrit itaque universe Deus ad peccatum, quod positiva volitione non vult, quia ab homine, quem liberum fecit, eligitur, ac ne hanc libertatem immunit, illud non impedit, sed permittit. Neque tamen permisso haec ipsum peccati reum efficit, quemadmodum fere in hominibus contingit; homo enim generaliter charitatis erga Deum, et proximum legi adstrictus, peccatum ab altero committendum impeditur tenetur; quamvis etiam haec obligatio aliquam nonnumquam exceptionem patiatur, ut theologi

morales docent. At Deus nulla id genus obligatione stringitur; quin potius ut naturae auctor aliqua ratione hominum peccata non impide tenetur, cum congruum sit, ut causas creatas secundum naturales earum proprietates gubernet, ac proinde earum libertatem non laedat; laederet autem, si concursum physicum non aequo ad actiones malas, quam bonas offerret. Accedit, quod Deus permisit actionibus malis secundum sapientiae sua regulas ad finem totius universi perfectissime obtinendum uitatur, quod alias diximus.

C A P U T II.

De Gubernatione, et Providentia.

DEUS MUNDUM AD FINEM DIRIGIT.

LXXX. Deus omnia hujus mundi entia, omnesque eorum actiones ad finem praestitutum optime dirigit. Cum enim sit sapientissimus (§. 38.), mundumque universum ut medium apertissimum ad finem consequendum elegerit (cosm. §§. 77.-78.), necesse quoque est, ut medio isto ita utatur, ut quam optime finem praestitutum obtineat; id vero nequaquam praestaret, nisi omnia hujus mundi entia, omnesque eorum actiones ad finem praestitutum quam optimè dirigeret: igitur Deus omnia hujus mundi entia, omnesque eorum actiones ad finem praestitutum quam optimè dirigit.

QUID GUBERNATIO?

LXXXI. *Gubernatio* est directio optima mediiorum, et actionum ad finem communem.

Schol. Exemplum sume a gubernatore navis, exercitus, reipublica.

DEUS OMNIA GUBERNAT — OMNIVMQUE CURAM GERIT.

LXXXII. Deus omnia in hoc mundo gubernat. Deus omnia hujus mundi entia, omnesque eorum actiones ad finem praestitutum quam optimè dirigit (§. 30.). atque istud est omnia in hoc mundo gubernare (§. praece.). ergo Deus omnia in hoc mundo gubernat.

LXXXIII. Deus omnium, et singularium entium mundanorum curam gerit. Qui omnia, et singula entia mundana crevit, eorum existimat conservat, ad singulas illorum actiones concurrerit, et denique omnia gubernat, is certe omnium, et singularium entium mundanorum curam gerere censendus est; atque Deus haec omnia praestat (§§. 64.-71.-76.-82.); igitur Deus omnium, et singularium entium mundanorum curam gerit.

Schol. Qui de majoris propositionis veritate dubitat, exemplum solliciti parentis sibi ob oculos ponat: nonne filiorum curam gerit, cum a se genitos suppedante alimenta conservat, monitis, consiliiis, ac preceptiobus ad eorum actiones concurrat; ipsos denique eorumque actiones gubernat?

QUID, ET QUOTUPLEX PROVIDENTIA?

LXXXIV. *Providentia* est cura Dei de rebus creatis; dicitur generalis, quae aequaliter omnibus totius universi entibus impeditur; specialis, quae singulari modo ad quadam rerum creatarum genera procurando bona, et removendo mala porrigitur.

QUID DIXISTAS?

Schol. Per se clarum est, ad specialem providentiam specialem quoque concursum (§. 77.) pertinere. Utramque nunc efficacissimis argumentis vindicabimur contra deistas; istud enim nomen sortiti sunt minuti illi philosophi, qui ut Tullius loquitur (*De nat. D. l. i. c. 21.*), omnino nullam habere censerent humanarum rerum procurationem deos: quorum e grege primi fuerunt, qui vel Deum ipsum vel mundum ab eo factum negarunt; certe si mundus easco coelum, ut contendebat Epicurus, etiam casu, et fortuito regatur, necesse est; deinde qui fatalem rerum omnium necessitatem indixerunt; ubi enim fatum regnat, nullus providentiae locus esse potest. Mitius quidem, at non minus impie de divina providentia senserunt illi, certis eam limitibus constringentes: usque ad lunam descendere Dei providentiam, Deumquem suts contentum finibus, et praescrito regni modo degere, opinionem fuisse Aristotelis S. Ambrosius scribit (*De off. l. i. c. 13.*). Omnes generationes providentiae hostes Cadworthus (*Syst. intellig. c. 5. s. 5. Ib. §. 16.*) refellendos suscepit, at prodidisse, quam egerat, caussam, videri potest, dum omnium rerum etiam vilissimum curam Dei beatitatis officere adversariis permisit. Non est necessarium, ait improuide, ut ipsum Deum omnia suis veluti manibus construeret, et perficeret credamus, sed consilitorum, operumque suorum inferiores ministros divinam habererationem, in quos partem curarum suarum, quibus eum mortales obrui, et op primi opinantur, conficiat. Tunc etiam ministeriorum primum naturam illam genitricem constituit, quam sese tenebris eruisse, atque adversus aliorum machinationes defendisse gloriatur. Sed quid de hac sententiis sit, alias diximus (cosm. §. 86. sch. 2.); nulla autem Deum molestia affici, si ipse per scire re minimas curet, infra apparebit. Verum utinam error impius cum prisca illi consupultus fuisset! vivit, proh dolor! etiamnum, et a profanis sancti hujus philosophi continenter recourit. Recourent sane, qui cum Philosopho de sanssouci contendunt (*Lettr. à Keisb. et a Maupeutius.*), Dei providentiam ad genera quidem, non item ad individua porrigit; quasi vero abstracta Deus curet, non curet concreta; aut genera extra individua reapse existant. Sed tamen his philosophantib[us] sompniis omni aetate clarissimi viri se opposuerunt. Sunt autem, et alii, inquit rursum Tullius (*De nat. D. l. i. c. 2.*), et hi quidem magis, atque nobiles, qui Deorum mente, et ratione omnem mundum administrari, et regi censeant, neque vero id solum, sed etiam ab ipsis ritae hominum con-

suli, et provideri. Nam et fruges, et reliqua, quae terra pariat, et tempestates, et temporum varietates, coelique mutationes, quibus omnia, quae terra gignat, maturata pubescant a Diis immortalibus tribui generi humano putant, multaque colligunt, quae talia sunt, ut eis ipsa Dii immortales ad usum hominum fabricati poene videantur. Atqui hi, quantum ad providentiam, recte sentiunt,

DEUS MUNDUM ADMINISTRAT.

LXXXV. Deus providentia sua totum mundum, omniaque in eo entia seu magna, seu parva administrat. Deus omnium, et singulorum entium mundanorum curam gerit (§. 38.); sed in hac cura providentia Dei sita est (§. praece.); igitur Deus providentia sua totum mundum, omniaque in eo entia seu magna, seu parva administrat. Schol. 1. Est profecto haec providentia cum perfectissima Dei natura artificis connexa, ut qui unam sustinuerit, alteram quoque tollat, necesse sit; inde nemo unquam illam in dubium traxit, qui rectam hujus notionem animo informavit. Non esset difficile veterum philosophorum testimonia accumulare, sed nolo esse longior; Socratem tamen audiamus has fere rationes cum Aristodemo disputantem (Xenophon, de dict. et fact. Socrati, l. 1, p. 575.): animadverte mentem tuam etiam dum inest in corpore, ex arbitrio suo corpus gubernare. Quomodo enim existimandum est, sapientiam illum, quae est in hoc universo, omnia regere, quemadmodum ipsi gratum est? Nān tuus oculus ad multa usque data pertingere potest, et non potest Dei oculus simul omnianfueri? nunquaque tuus animus tunc de rebus, quae hic accidunt, tum de illis, quae in Egypto sunt, et Sicilia, cogitare potest, et non potest Dei sapientia simul omnium habere curam? sed ratione pugnat divinus ille philosophus Plato: Si Deus, aliis negligens minoribus in solis occupatur majoribus (aut penitus res mundanas non curat), id ideo fit, vel quia omnibus administrandis per esse mens illius, ac potestas nequit, vel quia non vult; tamen potest (De leg. l. 10.): neutrum autem Deo convenit. Certe neutrū cogitari potest; non primum; imbecillitas quippe haec vel ex ignorantia quadam rerum, quae sunt, vel ex virium infirmitate oriuntur; quorum alterum cum omnisciencia, alterum cum omnipotencia pugnat; non secundum; invidentiae enim, aut ignaviae manfestum istud iudicium foret, neque cum infinita ejus bonitate congrueret. Rectissime igitur Balbus apud Tullium concludit (De nat. D. l. 2. c. 30.): Ergo utrum ignorantia, quae res maxima, quae minima sint, quoque haec modis tractandae, et tuendae? an vim non habent, quanta tantas res sustinent, ac gerant? et si ignoratio rerum aliena natura Deorum est, et sustinendi muneris propter imbecillitatem difficultas minime cadit in maiestatem Deorum. Ea quo efficiuntur id quod volumus, Deorum providentia mundum, et omnia, quae in eo

De Gubernatione, et Providentia.

gunt, administrari. His denique gravissimum pondus additum ipse communis naturae sensus, sive ea animi nostri comparatio, qua tacito naturae impulsu res nostras Deo curare esse judicamus. Res singulas, inquit Nemesis (De nat. hom. c. 44.), regi providentia magno est argumento, quod naturaliter ejus notitia hominibus sit insta; nam necessitate aliqua compulsi starm ad numen divinum, et precies configimus, velut natura nos sine doctrina ad Dei opem producent. Non autem sine doctore nos natura ad id ducere, quod eadem natura non fert, ut fiat. Nam in repentinis perturbationibus, et timoribus, sine electione, neque deliberante, et tamquam aliquid consideremus, Dei nomen invocamus. Quidquid autem naturaliter quamque rem insequitur, in eo tanta vis est ad demonstrandum, ut contra duci nihil possit. Sed jam adversariorum calumnias refellendas ve-

REFELLUNTUR CALUMNIAS.

Schol. 2. 1.) Pugnare cum summa Dei beatitate clamitant rerum quaroniam, etiam minimarum curam; nam quod aeternum, ut inscite Vellejus apud Tullium arguit, beatumque sit, id nec habere ipsum negotiū quidquam, nec exhibere alteri (De nat. D. l. 1. s. 17. c. 19.). — Sive in mundo inest Deus aliquis, qui regat, qui gubernet, qui cursus astrorum, mutationes temporum, rerum vicissitudines, ordinisque conservet, terras, et mari contemplans hominum commoda, vitasque tuearit; nāe ille est implicatus molestis negotiis et operosis. At vero hanc opinionis dementiam eorum esse, aiebat olim Ammonius (De interpr. p. 2. p. 92.), qui quanto intervalllo divina cognitio, et vis nostram supererit, non intelligunt, et propter hanc incitiam ex nostris rebus conjecturam facere audent de ita, quae ad Deum pertinent, ac nostram in illum imbecillitatem transference. Vellejum egregie Cotta refutavit: Profecto Epicurus (De nat. D. l. 1. c. 37.) quasi pueri delicii, nāi cessatione melius existimat. At ipsi statim pueri etiam cum cessant, exercitatione aliqua ludicra delectantur: Deum siceratim voluntus cessatione torpere, ut si se commoverit, verearum, nebeatus esse non possit: Certe Deus, quae agit, non operatur cum labore, ne corpore praeditus est, ut morbos extimescat. Laborare, verba sunt Plotini (Eane ad. l. 4. c. 12.), in opere disponendo, nihil aliud esse videtur, quam aliena opera tractare, id est, ea, in quae quis potestatem non habet; at in itis quae quis habet in potestate, et quidem solus, quanam re alia indiget, nisi se ipso, et voluntate sua? nihil itaque Dei beatitati providentia detrahit; immensus quippe eum sit, potestaque nullis limbis circumscripta pollet, pervidet, pervaditque omnia; nullam renum cura fatigari, aut ita occupari potest, ut ne ad reliqua attendat.

2.) Indignum divina esse majestate contendunt, ut per se ipsum res

minimas, ac vilissimae curat (*Lucr. de nat. rer. l. 2. v. 650 seqq.*); quemadmodum nec humani principis maiestatem decet, ut laevissima quaevis negotia per se administraret; committi ista solent magistratus inferioribus.

Magnum est Deum inter, et humanum principem discrimen; hic ob limitatas tum intelligentiae, tum potentiae suae vires non multis admodum negotiis per se administrandis solus sufficit: quare pro eisdem vitio daretur, si levissimi negotiis sese immisceret, consequens enim foret, ut graviora negligret. Quodsi utrumque praestare posset, nihil certe leviora curando maiestate sua indignum admitteret. Contraria omnia in Deo obtinetur. Deinde non fuit Deus indignum, per se, vilissima creare, et continue conservare: cum eadem gubernare indignum sit? quid, quod minima etiam in hoc universo ita cum magnis copulantur, ut his provideri nequeat, quin illa simul curen tur? ut enim maiores in aedifici lapides haud recte disponuntur, nisi eadem cura minoribus quoque adhibeatur: ita fortius mundi elegancia, ac optima omnium partium ad finem consilio sine minimis obtineri nequit. Quare apposite Plato (*De leg. l. 10.*): *Caveamus, ne Deum mortaliibus operibus viliorum putemus: isti sane quanto peritiores sunt, tanto arte una in pratis ipsorum operibus et parva simul et magna exquisitus absolutius perficiunt.*

3. Incredibilem rerum humanarum confusione queruntur alii; celestissimum quoque prospera uti fortuna; probos contra, ac virtutum studiosos variis calamitatibus conficari; non aequaliter praemiorum, poenarumque distributionem apertum contradivinam providentiam testimonium dicere. *Ac nos quidem,* inquit Cotta apud Tullium velut se ipsum reprehendens, *nimirum multa in re aperiuntur* (*De nat. D. l. 3. c. 32.*): *Telamo autem uno verso locum totum conficit, cur Di homines negligant: nam si carent, bene bonis sit, male malis: quod nunc abest.* Argumentum istud fortissimum esse Baylius arbitratur (*Dict. hist. et crit. ac Rifa. rem C.*), ac inscite contendit invictum eius robor vel inde elucere, quod ab ipso fere mundi ortu nulla eidem responsione satisfieri potuerit. Addunt, evenire non raro, ut quis post primum scelus commissum a viris tollatur, semper inquisitor tormentis adiecit, dum alijs impune sceleris sceleribus accumulant, ac nihil minus et tempus, et occasione resipisciendi obijent; id quod cum justissima Dei providentia cohaerere non videatur.

Verum responso est multiplex. Primum, nemo ita bonus est, ut non quandoque delinqat; nemo ita malus, ut non actum quicquam moraliter bonum nonnquam exerceat: quare acquissime possunt boni in hac vita poenis, mali praemis affici: praesertim cum hi nullam in altera mercede expectare queant. Hi itaque eventus multo maxime justissimum Dei providentiam patefaciunt. Deinde neque justitia, neque providentia Conditoris postulat; ut in hac vita, quae status quidam tentationis est, praemia, et poena re-

praesentetur; istud quippe ad statum finalem pertinet. Nonne princeps humanus ultionem scelerum differre potest, cum ea dilatio ad commune reipublicae bonum conduci? cui igitur idem praestato Deus nequeat, quando illud perfectionis totius mundi a se condit, provideque gubernandi consentaneum est? Qui petunt, ut Deus quodvis flagitium continuo puniat, totidem miracula petunt, quae ipsi, ut naturae auctor patrare minime tenentur. Fabulam agimus, cum hanc vitam degimus; ea peracta justae praemiorum, poenarumque distributionis et temporis, et locis erit. Demum nec horum haec temporalia congruum sunt virtutis praemium, nec mala vitiorum poena, summa gaudent Deus in illis concedendis libertate: quare et illa malis tribuerit, haec bonis immittit aequissime potest. Praecare S. Augustinus (*De civ. D. l. 1. c. 8.*): *Placuit quippe divinae providentiae preparare imposterum bona iusti, quibus non fruenter iusti: et mala impis, quibus non exraciabantur boni.* Ita vero temporalia bona, et mala utriusque volunt esse communis; ut nec bona cupidius appetantur, quia mala quoque habere cernuntur; nec mala turpiter erit venire, quibus et boues plerumque efficiuntur. Rursus: *Si Deus nunc omne peccatum manifeste plectret poena, nihil ultimo iudicio servari putaretur* (*Ib. l. c. 10.*). Rursus: *Si nullum peccatum nunc puniri et aperte divinitas, nulla esse providentia divina credereatur.* Similiter in rebus secundis: *Si non eas Deus quibusdam penitibus evidentissima largitate concederet; non ad eum instanti periret dicimus; itemque si omnibus ea penitibus datur, non nisi propter talia praemita servendum illi esse arbitraremur; nec pro nos faceret talis servitus, sed potius cupidos, et avaros.* Conferantur quoque ea, quae diximus (*§. 49. 50. 57. schol.*). Atque haec si seria mente expendisset Baylius, futurum fuisse puto, ut argumenti illius levitatem perspicereat; certe non potest in eo veritatis quadam species apparere, nisi illi, qui aut tam futuram penitus tollunt, aut praesentem saltem ut prorsus ab illa separantur intuentur, quod, cum de vindicanda Dei providentia agitur, fieri minime oportet.

Quod autem ad illud, quod additur, ajo; Deus vi supremi sui dominii plenum jus habet cuivis ob quodcumque scelus admissum aeternas poenas infligendi; nulla tamen ad illud continuo exercendum obligatione stringitur; cum igitur punit, jures quo utitur; cum posnam differt, elementiae, quam nulli debet, locum indulget. Quis autem erga alios iuris suo, erga alios elementia utentem reprehendit? Anne benignitas quibudem exhibita ius idem postulandi alii tribuit? Anne summa bonitas hominum malitiam favere debet? Certi in immensus, ipsa major foret, si nonnquam flagitium admissum illico ad spectandum errorem manifeste puniretur. Accedit, quod fieri nonnunquam possit, ut is, qui ob primum scelus commissum morie plectitur, plurima accumulatorus, nec umquam vere retractatur a Deo preevideatur; hoc vero casu poena ea

magis a misericordia, quam a justitia provenire censenda erit; le-
viori quippe tametsi aeterno, mactatur supplicio, qui gravius lon-
ge, si virtus fuisse, incursum erat.

4.) Ita arguit: cum observantia legum naturae moralium homini ad perfectam beatitudinem consequendam apprime necessaria sit; ad divinam utique providentiam, siqua darentur, pertinuisse, om-
nibus hoc subsidium suppeditare, clareque eas leges promulgare; id
vero praestitum non est: integræ siquidem gentes, et olim, et
hodie adhuc legum harum penitus ignoratae peccatum fere vitam vi-
vant; quia in nationibus cultissimis, ut Persis, Graecis, Romanis
multarum rerum, quas cum jure naturae ut pugnant, consuetudines
publica auctoritate roboretur obtinuerunt; qualia erant infantes
recens natos aeris injurias, bestiarumque furor obijicere; homines
senio, aut morbo confectos in plateam, aut apertum campum abi-
cere etc.

Ad divinam omnino providentiam pertinuit legem naturae moralem
quod prima, et universalia principia generativa omnibus ratione
utentibus clare promulgare: non item quod conclusiones ren-
tiores, nisi accommodate ad singularium captum, et intelligentias
vivim, quae ad eas conformandas necessaria est. Istud vero abunde
praestitum est; nemio enim citra culpam primarias, et maximis
generales leges, ut Deum, proximum, se ipsum amandum esse, fa-
ciendum bonum, vitandum malum etc. ignorare potest, cum per
rationem ipsam, secundum quam vivendum esse omnes norint, om-
nibus manifeste fiant. Leges autem particulares non sunt, nisi ap-
plications universalium ad causas singulares, quae ratiocinanda
confiri debent, et saepe magnis difficultatibus implicantur; qua-
re harum cognitio a cuiusque intelligentiae vi pendet; unde tan-
tum opinionum dissidium oritur. Verum istud Numinis providen-
tiae nihil detrahit; cum enim per rationem cuivis haec leges
promulgandæ fuerint, alter res confit non poterat; sique haec ob
causam quispiam erret, errabit extra culpam, non error ex igno-
rantiæ inexcusabili oriundus consecutionem finis impedit. Quod
porro de integris nationibus adjectur, argumento solum est, pos-
se integras quoque nationes pravis affectionibus, cupiditatibus,
libidinibus ita abripi, ut ipsum rationis lumen veluti sopiant. Mi-
nime vero inde sequitur, ipsa, si rationem consilere, atque ejus ex
praescripto vitam instituere voluissem, universalia legis moralis
scita intelligere non potuisse.

Romanos denum, et Graecos, aliasque cultas nationes complura con-
suetudine firmasse, quae juri naturae aperte repugnant, legitimus
quidem; at nulla historice fides testatur eos haec ex inculpabilis
ignorantia absque omni conscientia remorsu, nullo umquam de-
bio recurrente exercuisse. Neque istud illa probabilitatis specie
gaudent; tanta siquidem luminis naturalis vis est, ut supremi pe-
nituti nequeat; atque inde necessario fit, ut aliquando saltem pre-
dens de ejusmodi actionibus in animo dubium exoriat, cujus con-

tempus culpa numquam vacat. Copiosior horum protractatio ad
philosophos morales pertinet; que madmodum ad Religionis reve-
late docentes illud, quod quidam hoc loco objicunt, cum ajunt
parum commendari divinam providentiam, quod non omnibus po-
pulis revelata Religionis lumen in pertiat; qua tamen de re haec bre-
viter monbo. Nulla est provincia, quae non jam Apostolorum tem-
pore vel praedicatorum veræ Fidei accepit, vel sallent eamdem
in vicinitate promulgatam, rumore ad se perlatu, audire, ac con-
discere potuerit. Malitia vero hominum tribuendum est, quod alii in locis continuo rejecta, in aliis jam admissa paulatim rursus
extincta fuerit, quod evenire necessum erat apud eos, qui voluntati
turpissimis onice studebant. Ceterum si quis nulla sua culpa
Religionem revelata ignoraret, proprie eam ignorantiam nequa-
quam a Deo puniretur; puniretur tamen ob peccata contra legem
naturei sibi sat notis admissa: quod si vero et ab his immunitis
mortem opperetur, sortem infantum ante baptismum mortuorum
experi cogeretur; si mortem opperetur, ajo, nam theologi due
dico Thoma docent, submittendum certo, etiam per miraculum, si
opus foret, a Deo Evangelii ministrum ei homini, qui citra omnem
culpam vera Religionis ignorat, interea tamen, auxiliante Dei
gratia, quae nunquam deest, secundum rationis prescriptum
omnes suas actiones moderatur.

3.) Denique malam mundi constitutionem, entia iniutilia, ac superflua,
et quae similia sunt, opponunt, quae in Cudwortho videri possunt
(Syst. intellig. c. 5. s. 5. f. 28. seqq.). Nos id genus objectis in cos-
mologia (S. 79. schol. 2.) satisfacimus; id tamen hic rursus in me-
moriam revocandum videatur. Ut sanum, prudensque iudicium fer-
atur, aliquid aut nullo fine, aut minus apte ad finem in hoc mundo
constitutum esse, necesse est, ut omnia praeterita, praesentia, et
futura, eorum inter se nexus, et ensarcens inde ad communem finem
conspiratio, verbo totius perire oportet, intimaque earum naturae
optime pervideantur; quare cum istud omnes intelligentiae huma-
nae vires exspereri, gravissimam temeritatis sceleris se obstrungit,
qui hoc ex capite benignissimum Numinis providentiam audaci
morus lacescant.

Ad extrellum, ut cuiuscumque generis objectionibus aptissime oc-
curatur, duo haec generalia, certissimaque principia aite animis
insculpenda sunt. Primum: via, quae divina providentia ingredi-
mitur, mediaque, quibus utitur, ab humano intellectu comprehendi
migime possunt; sicut enim bestiae hominum consilia hanc asse-
quentur; sicut inter ipsis homines, qui ruidores sunt, ea non in-
telligent; quae sapientia mente agitant; ita nobis supremæ
providentiae arcana perscrutari datum non est; nostra certe sa-
pientia magis ab infinito Dei sapientia distat, quam illa rationis
umbra, quae in bellus inest, a nostra intelligentia, et ratione. Ob-
seruitatis hujus fontes præcipui sunt infinitas sapientias divinas,
amplitudo, et duratio finem non habitura systematis rerum gubern-

nandi, ejus demum multiplex ratio; non enim physicum solum est, sed etiam morale: istudque non naturale modo, verum et supernaturale, cum homo ex gratuito beneficio ad statum supernaturalem elevatus sit, ut fides docet. Inde facile omnes argumentos labefactantur; ferre enim aut ex parte ad totum concludunt, aut media a fine separant, inquit illis, quae huic propria est, perfectionem requirunt. Inde omnes hujus universi eventus, qui in aliqua hypothesi iestam habere causam possunt, ab omni iniuritate vindicantur; nam firmissime opinandum est, eos hoc ipso solum, quod constringat, justissimam causam habere. Jam vero si ipsi homines, ac mutui philosophi nihil ad hoc usque tempus attulissent, quod non in certa quipam hypothesi aequivocum esse queat: uno igitur ictu nodus omnis praeciditur. Vida Hocki (Rel. nat. et rev. princ. t. 1. theo. nat. s. 3. de provid. Dei pag. 141.), item Butlerum (Analogy of relig. nat. ande rev. etc.). Alterum est, Deum, ut jam saepem monimus, in procreatione hujus universi eam sibi praecepit pro fini praeftissima perfectionum suorum moralium manifestationem, quae per actus creaturam liberos, et moraliter honestos comparatur, eamdemque in ejus conservatione, et gubernatione constanter intendens. Hinc omnis pulchritudo materialis corporum mundanorum, omnis bonum temporum longe inferiore loco constitendum, atque ut medium duxat ad nobilissimum illum faem considerandum est. Cum igitur intelligentia nostra eo se non porrigit, ut clare pervideat, quomodo omnes hujus mundi eventus, omnia mala physica, quin et moralia ad actus moraliter honestos concurrant, temerarium est contra divinam providentiam judicium ferre.

SECTIO IV.

DE RELIGIONE.

QUOD SECTIONIS ARGUMENTUM?

LXXXVI. Supremi Numinis agnitione aucto deo cum gravissima vera ipsum Religionis colendi obligatione copulatur, ut ego eum metaphysicum, qui de dignissimo hoc argumento aut tacet omnino, aut extrema duxat cursum delibat, magno partibus suis opere deesse arbitretur. Quare ne justa in me quoque reprehensione cadat, operam dabo, ut quantum praestituta operi brevitas admittit, ea principia stabiliam, quibus teneriores praesertim animi imbuti numquam se proacassimis minutorum philosophorum diceris a recto trahite abduci sinant. Hac porro in re ita versabor, ut primus de Religione generati, et nominati deinde de Religione naturali, tum de revelatione, demum de Christiana, sola ratione naturali in subsidium vocata, acturus sim.

ARGUMENTUM ISTUD AD METAPHYSICAM PERTINET.

Schol. Querentur fortasse nonnulli, me in sacrorioris theologie se-

pita irrumpere; abs enim vero. Ego sic existimo: nihil a Philosophia alienum esse, quod ratione naturali demonstrari queat. Nemo certe operam, quam philosophi in atheismo, ac deismo refellendo locant, jure reprehenderent: cur igitur naturalismi, et superstitionis confutatio ipsis criminis detur? Habet suos, non infelios, philosophia limites; habet quoque theologia: verum sunt quedam disputationum argumenta utriusque communia, in quibus extra limitum confusionem versari possunt, si modo propriis unaquaqueque principiis utantur. Quid quod magna eorum pars, qui philosophicis institutionibus animis imbunt, illud subinde viras genus amplificetur, in quo theologicis lucubrationes evolventi nec otium nec occasio suppetit? Anne igitur hoc omni subtillo vacuos relinquimus? Nonne illi sunt, qui prae ceteris egere videntur, quod frequentius convicia, quae impii in castissimam Religionem jacint, audire coguntur; quod virulentas Voltairii, Rousseauii, aliorumque Epicureorum abortus sua ipsi manibus non sine magno salutis discrimine terunt? Denique istos veritatis inimicos nulla re magis, ac specioso philosophi titulo gloriari quis ignorat? Certe unam hanc esse, sanamque philosophandi rationem inopudentissime pronunciant, quare turpisissimam philosophiam macram incurrunt. Jam vero cujus, quæso, est eadem abstergere? Cupa blatum philosophiae honorem vindicare? Non alterius sane, quam philosophi, qui solus impiorum dogmatum cum ratione pugnam patefacere potest.

C A P U T I.

De Religione Generatim.

QUID RELIGIO ET SUPERSTITIO?

LXXXVII. Religio est cultus summi amoris, obsequii, ac servitutis ei, cui debetur, praestitius. Superstitio est vitiosus id genus cultus: vitum vero istud vel ex falsis de natura, colenda opinionibus, vel ex absurdis colendi ritibus, vel demum ex ipsa rei cuitas natura profici petet.

Schol. Verum etiam majores nostri, inquit Tullius (De nat. D. c. 2. l. 19.), superstitionem a religione separaverunt. Num qui totos dies precabantur, et immolabant, ut sui liberi superstites essent, superstitionis sunt appellari, quod nomen postea latius patuit. Qui autem omnia, quae ad Deorum cultum pertinerent, diligenter retractarent, et tamquam relegerebant, sunt dicti religiosi exarlegendi, ut elegantes exarlegendi; tamquam a diligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes: his enim in verbis omnibus intestis vis legendi eadem, quae in religioso. Ita factum est in superstitionis, et religioso, alterum illi nomine, alterum laudis. Lactantius (Inst. divin. l. 3. c. 11.) tamen a religando dictum putat religionem, quod vinculo religio. Deo religemur, sive obstringamus.

Storzenau Metaph. Lib. IV.